

U.M.  
RUM  
E  
ÉINZIA  
UM



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM  
FESTIVALIUM

*Disquisitio X.*

*PRÆSIDE*

**CHRISTIANO GUEINZIO**

Gymnasii Hallensis

Rectore

*Respondente*

**GOTHOFREDO Nißschmann.**

Dresdâ-Myso.

*In Festivali die Viridium.*

*A.O.R. cl. Ic. II.L.*

---

**HALLIS SAXONUM.**

*Prelo Hæredum Melchioris*

*Oelschlegelij.*

*Dn. V*

МИЯВІТІУ  
МІЯВІГАРІЧАУ  
МІЛІАУГІЗА  
Х. о. міліа  
З А С А Ф  
CHRISTIANE FELIX  
Gyulai Hellenus  
Я. Г. Г. Г.  
COHTREDO W. M. G.  
Dresd. 1710.  
In Hildburghausen  
G. O. R. S. P. M.  
HILDE SAXONIA  
O. G. E. P. G. A. H.



ANALYSIS  
EVANGELII  
IN DIE  
VIRIDIUM,  
*de lotione pedum.*

Johan. 13, à v. 1, usq; ad 18.

## PRÆLUDIUM.

**E**ygitur in Arca fœderis,  
supra quam Deus peculiari  
gratiosa præsentia modo in medio  
Cherubim habitabat Exod. 25,  
22. inter tria fuisse etiam tabulas Decalogi,  
Hebr. 9,4. Per quas denotatur potissimum di-  
lectio, quæ est legis impletio, Rom. 13,10. Et ad  
hanc etiam respexit ubi jam Aaronico & Le-  
vitico sacerdotio finem imponere voluit Chri-  
stus: nam uti Euccharistia constituit fidem, ita  
lotio pedum commendat dilectionem. De qua  
überius in ipso iexit Evangelico.

3

# THESIS

## THEISIS I.

In quo habetur tum illius narratio,  
 ubi iterum declaratio, quæ est circumstan-  
 tiarum generalis consideratio v. i. In quo  
 directè est temporis denotatio, communi-  
 ter: ante festum autem Pascha. Ubi conjun-  
 ctio dæ autem non tām connectit hanc histori-  
 am cum præcedentibus, quām novæ inchoatio-  
 ni inservit: unde & Latinus interpres eam omi-  
 sit. Denotatur verò dies proximus ante festum  
 Pascha, uti Luc. 11, 38. & tām tempus  
 quod proximè & immediate prandium ante-  
 cedit. Et quamvis reliqui Evangelistæ dicant  
 primo die azymorum, cum iam cum discipulis  
 pascha manducasset, banc lotionem suscepitam  
 esse, Matth. 26, 17. Marci 14, 12. Lucæ 22, 7.  
 variaq; sint propterea interpretationes, tamen  
 intelligendum est Iohannē loqui non de Chri-  
 sti, sed de Iudeorum paschate; ut sit sensus, quod  
 pridiè illius diei, quo Iudei suum Pascha cele-  
 brabant, Christus hoc fecerit; quia verisimile  
 est Evangelistam popularem loquendi consue-  
 tudinem hic secutum esse, iuxta quam illa dies  
 vocabatur Pascha, quā Iudei publico & com-  
 muni consensu Pascha celebrabant; illa verò  
 nondum advenerat, sed proxima erat, cùm  
 Christus Apostolis pedes lavaret. Deinde lotio  
 pedum

pedum non ante Christum cœnantem, sed intra ipsum diem facta est; siquidem Iudei inchoabant diem à vespere, lotio autem facta est post vesperam. Tertio, ita solet Iohannes loqui etiam alibi. Sic c. 19. 14. diem, in qua Christus crucifixus est, vocat naegon blyw, sed Iudaorum, uti ipse explicat v. 35 in hoc cap. Ut ita finitā cœnā non tantum paschali & legali, quæ stan- do fiebat, sed etiam communi seu vulgari, à qua Christus surrexit, ante sacramentalem sit hoc peractum, uti ex sequentibus patebit. Ut discamus temporis rationem accurate obser- vandam esse propter S. Scripturæ concilia- tionem.

2. Specialiter: sciens Jesus quod venisset hora ipsius. Per quam intelligitur tem- pus passionis & morti Christi aeterno Dei consi- tio constitutum. Unde emphaticè vocatur Christi hora, Joh. 17, 1. & c. 8, 20. Non solum ratione objecti, sed etiam causæ efficientis: quia Christus juxta divinam suam naturam inā cum Patre & Spiritu Sancto hanc horam sive tempus constituerat. Vocatur autem hora non solum propter propinquitatem, cùm Christus circa horam nostram 8. pedum lotio- nem peregrisset, circa 9. exivit ex urbe in mon- tem: sed etiam propter brevitatem, quia pas-

si Christi illa solennior non duravit integrum  
 diem naturalem; unde & Psal. 110. v. ult. me-  
 taphorice dicitur torrens. Nec sine causa no-  
 men Iesu additur, quia passio & mors Christi  
 verè est salutaris mundo; & cum sciverit, vo-  
 luntariè proprieà passus colligitur. Hinc, sic  
 Chrysost. serm. 5. in quinta feria passionis.  
 qui futura prædicere potuit, potuit & cavere.  
 Ignaros adversa præveniunt, non scientes. Pati  
 autem voluit quia sponte locum, ubi patere-  
 tur, adscendit. Ergo quod volens moritur, non  
 casus est, sed potestas. quod etiam declarat Jo-  
 han. 10. 17 ubi inquit: potestatem habeo po-  
 nendi animam. Quibus addit August. cont.  
 Maxim. Arrian. lib. 3. 14. his quid intelligi  
 voluit nisi se non fuisse moritum, nisi ipse  
 voluisset? Ut discamus etiam voluntario præ-  
 stare nostrum officium. Hinc Aug. in Psal. 34.  
 conc. 2. Dominus voluntate passus est, nos ne-  
 cessitate; ille miseratione, nos conditione. Pro-  
 inde ejus voluntaria passio, nostra est necessar-  
 ria consolatio; ut, quando forte talia perpeti-  
 mur, intueamur caput nostrum, ut ejus exem-  
 plo commoniti dicamus nobis; si ille. quid nos?  
 quemadmodum ille, ita & nos. Simulq; note-  
 mus omnibus esse horam definitam & deter-  
 minatam, uii nascendi, ita & moriendi, Eccl.

225

3.2. Siraci.17,2. Job.14 & Psal.139,15. Non autem Stoicā necessitate, sed divinā voluntate. Itaq;<sub>z</sub>, habet August. epist. 132. ad Victor. non multum curandum est de us, qui nesessariò morituri sunt, quid accidat, si moriantur, sed quò moriendo ire cogantur.

3. Et indirecte causæ allegatio, quæ vel exterior impulsiva, ratione modi: ut transiter. Per quam vocem videtur Evangelista respicere ad precedentem vocem paschatos: Pascha enim transitum significat: Tacitè igitur innuit Pascha legale fuisse typum immolationis. Alias triplex memoratur transitus à Mose. 1. Angeli percussoris. 2. Per mare rubrum. 3. Ex Ægypto in desertum, & ex deserto in terram promissionis. Triplex iste transitus præfiguravit istum transitum, quem Christus per mortem suam instauravit: quia non solum ipse ex miseria in gloriam, ex labore ad quietem, ex calamitate in felicitatem transivit; sed etiam passione & morte nobis hoc perperit. Ut discamus mortem nihil aliud esse quam transitum, Joh 5,24.

4. Et ratione termini à quo: ex hoc mundo. Quemadmodum enim per nativitatem suam Christus in hunc mundum venit, ita per mortem, resurrectionem & adscensionem.

226

ex hoc mundo transiit, uti illud ipsum uberior  
probatur, Phil. 2, 6. 7. 8. & seqq. Ut discamus  
prius statum humilitatis & exinanitionis sub-  
eundum esse.

5. Et ratione termini ad quem: ad pa-  
trem. Dum consedit ad dexteram Patris in  
caelis, Hebr. 8, 1. Atq[ue] ita ex ignominia ad glo-  
riam. Propterea passio & mors fuit transitus  
initium; adscensio & sessio ad dextram Domini ei-  
usdem complementū. Ut discamus post igno-  
miniam sequi gloriam, post miseriam latitudinem.

6. Vel interior, absolutè ab objecto:  
diligens suos. Per quos intelliguntur Apostoli,  
cum quibus paschalem cœnam manducabat,  
ac quibus pedum lotione, euχαρισίαις admini-  
stratione & valedictoria concione dilectionem  
suam demonstrare satagebat, Illi igitur dicun-  
tur sui seu proprii ratione electionis ad  
Apostolatum, Marc. 3, 13. Joh. 6, 7. Et ratio-  
ne familiaris conversationis & convictūs.  
Uti Christus paulò post explicat, v, 18. & Matt.  
26, 23. Chryost. hom. 69. in Johan. propterea  
etiam vocat suos secundum familiaritatis ra-  
tionem: & dati erant Apostoli à Patre ipsi ad  
custodiendum Joh. 17, 12. erant ipsi præ reli-  
quias familiares & amici, Joh. 15, 13 informa-  
bantur in ipsius schola de mysteriis regni cœle-  
stis,

Itis, ablegati jam dum erant ad prædicandum  
Evangelium & dono miraculorum ab ipso do-  
nati, destinati ad prædicandum. Meritò igitur  
peculiari quadam ratione dicuntur Christi  
proprii. Ut discamus nos quidem omnes, potis-  
simum tamen electos, dici Christi, sed præcipue  
tamen Apostolos.

7. Et à subjecto: in hoc mundo. Quo  
exprimitur quasi causa, propter quam suos  
Apostolos dilexerit, quia erant in loco miseria-  
rum & calamitatum, expositi mundi odiis &  
variis periculis. Est ergo tacita quedam cœti-  
degens, dum Christi hora jam aderat ut ex  
mundo transiret, Apostoli adhuc aliquan-  
tum in mundo relinquendi, velut oves in me-  
dio luporum, Matth. 10, 16. Ut discamus dum  
in terris nos vivimus, nos adhuc semper in  
mundo esse.

8. Respective à constantia amoris: in fi-  
nē dilexit eos. Sicut enim elegit eos ante jacta  
mundi fundamenta Eph. 1, 4. Ita etiam ad finē  
usq; dilexit h.e. semper, uti haber Chrysost.  
hom. 69. Per quam dilectionem intelliguntur  
peculiaria beneficia, dum vocavit ad aposto-  
latum, in societatem admisit, in schola sua in-  
formavit, de necessariis ipsis prospexit, Luc. 22,

35. adversus hostium insidias protexit Ioh. 13,  
 17. Unde Cyrill lib. 9. cap. 2. in Joh. Illud  
 mihi dicere videtur Evangelista perfectam  
 erga suos dilectionem ostendit: finis enim et est  
 perfectio, que tum demum ultimam suam per-  
 fectionem nanciscitur, quando ultimum suum  
 finem assequitur. Nihil enim omisio, habet  
 Chrysost. in hunc locum, quod vehementer  
 amantem deceret. Sed cur non à principio hoc  
 fecit? Majora posterius reservat, ut eorum in-  
 se charitatem augeret, hortareturq; ut futura  
 mala animo forti subirent. Ut discamus Christum  
 amare non tantum affectualiter & ver-  
 baliter, sed etiam actualiter, modo simus quem-  
 admodum & Apostoli ipsius.

9. Specialis determinatio. v. 2. In quo  
 cum de circumstantia respectu facti: &  
 cœnâ factâ. Nempe communi: ut sit sensus  
 Christum hoc suscepisse in ultimâ, quam cum  
 Apostolis egit, cœnâ, non legali, quia illa à stan-  
 tibus celebrata, è præscripto legis, quod non  
 tantum ad primum Pascha pertinuit, sed etiam  
 sequentibus temporibus observatum, uti & à  
 Christo: & quia cœna legalis comedenda fuit  
 festinanter. Ergo non potuit per lotionem pe-  
 dum interrumpi, uti monet Rupert. lib. II.  
 in Joh. Neg potest intelligi cœna sacramen-  
 talis,

tatis, quia post peractam pedum lotionem Christus dicitur iterum accubuisse v. 12. sed post cœnam vulgarem, ut ita secundum Bernhardum, de cœna Dom. per pœnitentiam à fodiibus peccatorum mundari oportere significetur, qui sacramento dignè & fructuose uti velint, unde etiam dicitur γινομένη δείπνο, i. e. cùm cœna esset peracta, uti & Syrus vertit, & appellatio etiam ipsa arguit, quia cœna legalis propriè vocatur Pascha.

10. Respectu personæ, quoad causam proximam externam, efficientem: cùm Diabolus. Ut qui omnis est mali autor & voluntatis divinæ perversor.

11. Quoad internam, tūm formalem: jam immisisset. Per extremam depravationem voluntatis, non corporaliter, sed spiritualiter, uti habet August. tract. §4. in Joh. non per aurem, sed per cogitationem. Ut discamus pravis suggestionibus, quæ sunt ignita Diaboli jacula; Eph. 6, 16. extinguere & nullum locum iis dare. Suggestere enim quidem Diabolus potest, sed cogere non potest.

12. Tūm materialem: in cor Judæ Iscariotæ. Cor enim, uti est omnium actionum vitalium principium, ita etiam moralum, cui reliqua membra obediunt, Matth. 15, 19. Inde

230

huic fonti venenum suum serpens infernalis  
instillare nititur, & potissimum ejus cor aggre-  
ditur, qui proditor est, qui avarus est. Anteas  
quidem confessor erat. Et subintelligitur vox fi-  
lli, quam Syrus expressè addidit, quia fuit fi-  
lius Simonis, uti colligi potest ex Joh. 6, 71. &  
cap. 12, 4. & cap. 13, 26. ubi Iude nomen alio  
casu ponitur quam Simonis. Iscariotes verò  
vocatur, ut distinguatur ab altero Iuda, qui  
Jacobi, sive Lebbæus, & cognomento Thaddæus  
dictus est, Matth. 10, 3. Marc. 3, 18. Luc. 6, 16.  
Quod nomen vel sortitus est ab oppido Iude,  
יְהוּדָה Jos. 15, 25. Jerem. 48, 23, Amos 2, 2.  
vel ab eventu, quod mercedem ob proditionem  
acceperit קָרֵשׁ ex Zach. 11, 22. Act. 1, 18.

13. Et remotam : ut ipsum traderet.  
Sen proderet. Ut discamus veram peccati can-  
sam, non Deum, sed Diabolum esse, ut qui pri-  
mùm introduxit in mundum peccatum &  
mortem, Sap. 2, 24. 1. Joh. 3, 8. qui pater men-  
daci, Joh. 8, 44. seductor, 2. Corinth. 11, 3.  
operator, Ephes. 2, 2. Unde Ambros. lib. 6. in  
Luc. c. 8. impulsor peccati Diabolus est, impul-  
sor mundus, impulsor homo.

14. Et causæ demonstratio v. 3. In quo  
tum subjectum : sciens autem Iesus. Quæ  
verba non tam circumstantiam temporis signi-  
ficant,

ficant, quam persone dignitatem commendant. Ut discamus eò magis commendare Christi dilectionem, dum se, quamvis omnia sciverit & habuerit, ad eò demiserit.

15. Tum objectum ratione potestatis: quod omnia dedit ei Pater in manus. *Hoc est, potestatem infinitam in omnes creaturas, uti Galibi locorum ita vocatur, Matth. 28, 18. Luc. 22, 69. Dan. 7, 14. Ephes. 1, 20.* Ut discamus & per naturam esse verum Deum Christum, quoniam omnia habet; & per communicationem idiomatum etiam humanam naturam omnia possidere.

16. Et respectu humanitatis, quoad incarnationem: & quod à Deo exivit. *Hoc est veram humanam naturam assumptus, qui exivit à Deo aeterna generatione.*

17. Et quoad exaltationem: & ad Deum vaderet. *Id est per passionem & mortem in gloriam Patris intraret, servi forma deposita.* Unde Augustin. à Deo exivit, & ad Deum rediit; per humilitatem à Deo exiuit, & per victoriam resurrectionis ad Deum rediit.

18. Tùm est præparatio v. 4. In quo gestus: surgit à cœna. *Videlicet communi & vulgari esui paschalisagni subjungi solitâ: nara illo.*

illa àstantibus celebrata. Ideoq; alia fuit, que ad finem quidem perducta, sed nondum iamen mensa remota: unde dicitur cùm cœna esset peracta, quia Christus sacramentalem cœnam instituere & celebrare constituerat. Hinc etiā post lotionem iterum accubuit, & intinctæ buccelle oblatione Iudam proditorem manifestavit, uti habet August. de consens. Evang. c. i. uti patet ex v. 26. hujus cap. Et Christus sacramentum corporis & sanguinis sui instituit comedentibus illis, Matth. 26, 21. Marc. 14, 21. licet mensa lauitus nihil magis repugnet, quam iisdem manibus, quibus cibum capis, aliorum pedes contractare. Inde Theophyl. inquit eminentiam esse humilitatis. Non enim ante cœnam lavat, sed postquam omnes recubuerint surgit solus ipse, iHis recumbentibus; surgit vero à mensa, habet Simon de Cass. lib. 13. veteris Paschatis, ut ostenderet non sedendum amplius in mensa Mosaicâ, sed ad Evangelicam residendum.

19. Et habitus per remotionem: & ponit vestimenta. Seu deponit, uti simplex pro composito usurpatur etiam Ioh. 10, II. & II, 34. Non vero omnia vestimenta posuit sed exteriora & summa, uti Ioh. 19, 23. tñ iunctio Christi distinguuntur à tunica interiori, quam

quam *χιτῶνα* Evangelista vocat, quæ inconsu-  
tilis à summo usq; ad imum fuit, Luc. 19, 36. Sic  
¶ discipuli dicuntur τὰ ἱμάτια pullo imposu-  
isse, Matth. 21, 7. Constatq; ex Plutarcho in  
Camillo Græcos vocasse τὸ ἱμάτιον illud vesti-  
mentum: ut commodius ministerium lotionis  
perageret, & servili modo eis habitu id presta-  
ret. Ut discamus ipsum velle tanquam dome-  
sticum & familiarem nobiscum manere.

20. Et per positionem: & accipiens  
linteum, præcinxit seipsum. Ut hac in parte  
servilem i. habitum in servili ministerio pera-  
gendo exprimeret; linteum enim, quâ voce La-  
tinâ etiam Graci usi, adhibebant servi, uti ha-  
bet Sueton. lib. 4. c. 26. Deinde ne interiorem  
tunicam sordidaret. 3. ut pedes discipulorum  
illo ipso extergeret. 4. ut mystice significaret, se  
ideo humianam naturam induisse velut linte-  
um, ut à peccatorum sordibus nos purgaret,  
uti Simon de Cass. lib. 13. habet: præcinctus se  
lintero Doming ad nitiditatem sui, & in abster-  
fione abluendorum, ut sic alios lavet aut tergat,  
ne seipsum commaculet. Vigilant qui præsunt,  
ut taliter alios adjuvent, ne seipso periculis  
peccatorum exponant, ne dum alios abluunt  
aut tergunt, ipsi turpentur: cū detrimento ani-  
mæ salutisq; periculo aliorum utilitatibus nul-  
lis intendat.

21. Con-

234

21. Consequens est ipsa præstatio v. 5.  
In quo ante lotionem tūm modus : deinde  
injicit aquam in pelvīm. *Hoc est, infundit.*  
*Potuisse quidem Christus præcipere, ut mini-*  
*strorum vel discipulorum quis aquam affer-*  
*ret, sed noluit, i. ut humilitatem & charitatem*  
*suam eò magis ostenderet* 2. *Vt doceret, quo-*  
*modo & nos cum omni alacritate ministrare*  
*oporteat ; uti habet Theophyl.*

22. Et effectus : & cœpit lavare pedes  
discipulorum. Cyprian.ser. de lotione pe-  
dum inquit : *ex humilitate in genua coram*  
*discipulis procubuit.* Lavit verò omnium  
discipulorum, tūm tandem venit ad Petrum,  
& uti habet Chrysost.hom.69.in Ioh. namq;  
à Iuda initium lotionis factum. Ut &  
hac ratione, quod Euthym.habet, nobis ex-  
emplum præberet, quo eodem modo erga ini-  
micos nos geramus.

23. Post lotionem : & extergere lin-  
teo, quo erat præcinctus. Ideoq; non solum  
lavit, aut lavandi propositum habuit, sed etiam  
absterrit. Quem ergo fastum hoc non tolleret?  
habet Chrysost.hom. 70. in Ioh. quam te-  
meritatem, quam non deprimeret elationem?  
Qui sedet super Cherubim proditoris pedes la-  
vit, Tu homo terra & pulvis efferris & intu-  
mescis?

mescis? Discam⁹ itaq; humilitatem charitatis certæ concordia&q; fundamentum in humili animo esse solere, habet Cyrill. lib. 9. c. 3. in Iohan.

24. Et facti illius explicatio; ubi disceptatio levior, estque tūm Petri recusatio v. 6. In quo occasio quoad tempus: Venit ergo ad Simonem Petrum. Non ergo à Petro initium lotionis fecit, sed forsan ultimò, ut etiam testatur Ambros. lib. 3. c. 1. de sacram. & Origen. tom. 32. in Iohan. ut qui neminem præterire voluit. Hac in parte imitatus est peritos medicos, qui cum multis habeant agretos, ab illis sanandi initium faciunt, qui omnium gravissimè laborant. Non itaq; primatum constituit cùm primas in lotione non habuerit.

35. Et quoad causam: & dicit ei ille. Nempe Petrus, ut qui solus sese opposuit. Vtī alias etiam præceteris lapsus est, & erravit.

26. Et interrogatio, continens compellationem: Domine. Syrus reddidit, Domine mi, quippe est Fili⁹ Dei vivētis, Matt. 16, 16. Ioh. 6, 69. Rex regum, & Dominus dominantium, Apocal. 17, 14. & 19, 16. Dominus gloria, I. Corinth. 2, 7. speciosissimus Psal. 45, 3. Splendor gloria paterna, Coloss. 1, 15. Heb. 1, 3.

27. Et quæstioén: tu mihi lavas pedes?

Qua-

236

Quasi indigno, quasi seruo, qui sum homo peccator, Luc. 5, 8. Et si Iohannes, quo non surrexit major, Matth. 11, 11. se non dignum estimavit, ut solvat corrigiam calceamenti iui, Ioh. 1, 27. quanto minus me estimare possum propter operis vilitatem: pedum enim lotio est abiectum & servile ministerium, I. Sam. 25, 41. & propter manuum Christi dignitatem, in quas pater omnia dedit, Ioh. 3, 35. Vnde Theophyl. in hunc locum: Vide, verba Petri quam habeant emphaſin. Tu lavas pedes meos, quibus cœcis oculos aperuisti, quibus leproſos mundasti, quibus mortuos ſuscitasti? Ut diſcamus reverentiam exhibere ei, cui debetur.

28. Tum est Christi declaratio v. 7. ab effectibus: In quo cauſa: respondit Jesus, & dixit ei. Ut recte informaret & probaret ſe alio respicere, non ad nudam illam lotionem. Ut diſcamus nullam eſſe occaſionem prætermittendam recte informandi.

29. Et forma de præterito: id quod ego facio tu nescis modò. Nempe vel ratio-ne cauſæ impulſivæ, quod Petrus nō intelligat, quâ cauſâ Christus permotus, cur pedes lauet; vel ratione cauſæ finalis: quod Petrus nō intel-ligat myſterium. Ignorantia ergo ipsum arguit, Arguti in verbis Petri, tu mihi, empatias, ita  
quod<sup>3</sup>

quoque in his verbis ; *Tu creatura & homo,*  
*nescis quid ego creator faciam.* Ut discamus  
*naturam mysteria ignorare.*

30. Et de futuro : Scies autem posthac.  
*Ab utili persuadere conatur, quasi dicat co-*  
*gnoscere postea, quod hinc sequatur emolumen-*  
*tum, quod doctrina exemplum, uti habet*  
**Chrysost.** Unde Simon de Cass. nostrum  
*est semper obedire, semper autem scire non spe-*  
*Etat ad nos, neque omnia nosse; penes Deum est*  
*principere nobis, penes nos obediendi necessitas.*  
*Offeramus ergo membra nostra serva justitiae.*  
*Rom. 6, 19.*

31. Gravior replicatio, ubi conjunctim  
 utriusque communicatio. v. g. tum Petri  
 negatio : dicit ei Petrus; non lavabis pedes  
 meos in æternum. Ita in concepta semel  
 negativa immobilis perstat, & per cœnaculum,  
 velut insensatus, quod habet Augustin. serm.  
 28. ad frat. in eremo. discurrens exclamat.  
*Non lavabis mihi pedes in æternum, b.e. nun-*  
*quam hoc patiar: hoc quippe in æternum non*  
*fit, quod nunquam fit. Debuisset quidem, ceu-*  
*nomen cluit, obediens esse auditor, sed Petrus*  
*est, i.e. dura petra.*

32. Et Christi comminatio ab effectu  
 detimento, quoad antecedens : respon-

T

dit

238

dicit ei Jesus; si non lavero te. *Qui respicit ad spiritualem & internam potissimum ablutionem;* non enim dicit si non lavero pedes, sed te. *Et quia corporalis non erat adeo necessaria.*

33. Et Consequens: Non habes partem mecum. *Id est non habes consortium, amicitiam, & familiaritatem 2. Corinth. 6, 15.* Voluitque Christus hac comminatione uti, ut vehementem Petri recusationem vebementi impetu, velut clavum clavo, repelleret, & ostenderet divinis praeceptis nos debere obsequium, praestare; & ut eo fortius animum Petri ad obedientiam fletteret. Ut discamus non tantum blandis, verum etiam severis utendum in emendando vocibus.

34. Distinctim: & est tum Petri postulatio. v. 9. in quo de infimo per concessione: dicit ei Simon Petrus: Domine non pedes meos tantum. *Atq[ue] sic fit Petrus etiam Simon h. e. obediens,* dum ex animo ipsum appellat Dominum: ut sic recusatio, non ex inobedientia, sed ex reverentia, amore & observantia erga Christum profecta videatur.

35. Et de summo, per petitionem: sed & manus & caput. *Nec enim tantum-*

*vulc*

vult affectuum sensum qualitatis, qui in rebus terrenis obambulat, lavari, sed etiam animam ut inferiorem, per quam vacant manus vitæ activæ, ita superiorem per quam adharet DEO & contemplationi rerum supernarum. Atq; sic plus, quam Christus voluit, petiit; nec in anteas semel concepto proposito persistit. Quasi diceret: si tanta erumna non loto impendet, non solum pedes, sed totum afferam corpus, ut horribile detrimentum effugiam, habet Cyrillus lib. 9. cap. 6. in Johann. Tu autem ad hoc factum non nihil fructus hinc tibi collige, exemploq; tibi Petrum propone: qui etsi dixerit, non laveris mihi pedes in aeternum; cedit tamen confessim majori, nec perinaciter contendit, sed cito se paenituisse ostendit. Cavedimus igitur, quantum fieri potest, ne temerario casu verba afferamus: Sed si quid (homines enim sumus) exciderit, etiam si probè dictum, videretur, quum tamen aliud melius apparet, non contendamus, sed quam primū, quod melius est, amplectamur: præstat enim verbis solummodo peccare, quam magnarum, etiam rerum detrimentum habere. Plus enim peccat quis servando quam promittendo. Unde Euthyn. in cap. 14. Matth. temerè jurasse nō eporteret, quia tamen incircumspecte

*S. 2* *jurastis*

240

*jurasti, melius erat pejerare: è duobus namq;  
malis levius est eligendum. Ubi siue majori  
peccato aliquis evadere non potest minus pec-  
catum, faciat illud, quod minus, ne incurrit  
peccatum majus.*

36. Et Christi tum limitatio v. 10. in  
quo universaliter per assertionem : dicit ei  
Jesus: lotus non opus habet, quam pedes  
lavari. Ita lotionem corporalem ad spiritua-  
lem accommodat, & non Iudaicam aqua loti-  
onem, sed opificii intelligit purgationem, habet  
Chrysost. sumta Metaphora à ritu Iudaico  
quoad epulas accedentes pedes denuò lavabant,  
qui prius toto corpore loti erant.

37. Et per rationem : sed est mundus  
totus. *Quia per baptismum , quò respexit  
Christus, à peccatorum sordibus Christi san-  
guine ablutus, dum nulla in ipso condemnatio  
Rom. 8,1. & per baptismum plenariam omni-  
um peccatorum remissionem consecutus.*

38. Specialiter : Et vos estis mundi,  
sed non omnes. *Siquidem Et h.l. ponitur pro  
autem, vel quod magis congruit pro Et qui-  
dem, undè Syrus reddidit per etiam. Dicun-  
tur verò mundi respectu baptismi ; non enim  
defuit illis, inquit Augustin, epist. 108. ad Se-  
leucian. baptisandi ministerio , ut haberet  
baptisatos servos, per quos cæteros baptisaret,*  
*bapti-*

241

qui non defuit illis in humilitatis ministerio,  
quando ipsis pedes lavit. An verò ipse, an verò  
Johannes baptisaverit, uti vult Tertullianus li-  
bro de baptis. parum interest: sufficit baptiza-  
tos esse. Quia alias recusassent consilium Dei, non  
suscipientes baptismum à Deo in N. Testamēto  
institutum. Luc. 7, 30. Chrysost. & Euthyn.  
addunt ex Joh. 15, 3. mundos propter sermonē.  
Omnés verò non sunt mundi, quia uti habetur  
seq. versu, excipiendus erat proditor Iudas: &  
addita est hac exceptio ut ostenderetur non de-  
corporali sed spirituali lotione ipsum hactenus  
locutum fuisse: siquidē corporaliter Iudas erat  
lotus, sed spiritualiter nō erat lotus, quia spiritu-  
aliter nō erat mundus, & ut tacitè perstringeret  
Iude malitiam, ipsumq; hortaretur ne à pessi-  
mo proposito recedere.

30. Tū ratio. v. 11. in quo tum est ejus allegatio: sciebat enim tradentem. Apostolos Christi adhuc latebat proditorius Iude animus, sed Christo erat notus, quia uti sciebat quod venisset hora; ita quoque sciebat, quinam ipsum proditurus esset. Loquitur autem Evangelista in præsenti, tum quia apud Hebreos usitatum ponit præsens pro paulo post futuro Matr. 5, 46. Luc. 13, 32. tum quia Iudas jam dñum pactum cum pontificibus inierat Matr. 26, 14. Marc. 14. v. 10. Luc. 22, 3. Ut

T<sub>3</sub> disc-

242

discamus Christi divinitatem, qui sine ullo extero indicio noverat in corde latentem Iude proditionem.

40. Et ejusdem recapitulatio : propter hoc dixit non omnes mundi estis. Nimirum spiritualiter; Neq<sup>z</sup>, tamen voluit Iude proditionem in aperram producere lucem, dum non dicit, vos mundi estis præter Iudam, sed non omnes. Ut conscientiam proditoris magis pungeret & ad meliorem animum revocares. Ut discamus occulta delicta racitè perstringere primùm, non publicè & coram omnibus ea arguere.

41. Applicatio : & ibi est tum attestatio vers. 12. In quo gestus quoad facta , ubi tempus: Postquam ergo lavit pedes eorum. Ut doceret neminem illotis manibus ac pedibus sacra adire debere. Vnde etiam in V. Testamento sacerdotes & Levite obituri munia manus & pedes laverunt Exod. 30,19. Et Cantic. 5, 3. Dicit sponsa Christi lavi pedes meos. Iude Gregor. lib.19. moral. c.10. unde & Apostolorum pedes loti sunt ut à quolibet pravo contagio in ipsa lotione contracto quasi à quedam in itinere contracto pulvere mundarentur , simulq<sup>z</sup> ut monerentur ministros purgandis aliorum sordibus à Deo esse deputatos,

tos, secundum etiam factum Pauli 1. Corinth. 9, 23. Et una doceret, quod, si velimus sacrà cœnā uti, nos preparare & ablucere debeamus. Unde Anshelm. corpus & sanguinem discipulis suis in Cœna mystica tradens Dominus eorum pedes humiliter lavit, docens sacrosancta mysteria mundis operibus & pia mentis humilitate celebranda esse. Id quod fit per pœnitentiam.

42. Et modus, quoad habitum : Et recepit vestimenta sua. Nempe superiora, quæ ante lotionem reposuerat. Vbi in Græco simplex ἔλασσος pro composito ponitur. Ut discamus quod ministri Ecclesie exemplo Christi post actus hñmilitatis resumere debeant vestimentum auctoritatis, h. e. ita se gerere, ne se prostituant.

43. Quoad situm: recumbens iterum. Ideoq; ista lotio est facta ante cœna Sacramentalis institutionem, dum iterum recubuit. Ut doceret post peractum lotionis opus alia peragenda esse, & quidem non stando, uti cœna Paschalis celebranda sed accumbēdo, ut futuram in altera vita gloriam per metaphoram monstraret.

44. Quoad dicta per interrogacionem: dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Cum enim Petrus lotionem admittere recusa-

34 ret,

<sup>2</sup>44

ret, Christus ipse dixerat: Quod ego facio tu  
nescis, scies autem postea. Ideoque promissi me-  
mòr non Petrum solum, sed etiam reliquos A-  
postolos de lotione informat. Non autem qua-  
rit Christus ex ignorantia, quia non erat ei  
opus Joh. 2,25. querere. quia noverat occultas  
cogitationes Joh. 16,19. Sed ut præpararet illos  
ad audientiam: Neque enim somnolentos, sed  
attentos, non somniculosos, sed industrios &  
studiosos postulat auditores: ut si ex filiali obe-  
dientia ipsius verba observemus, mysteria fidei  
intelligamus; simulque discamus Christi ad do-  
cendum promptitudinem: non enim expectat,  
donec discipuli querant, sed prævenit ipsorum  
interrogationem Joh. 16,19.

45. Tum est dissertatio, cuius propo-  
sitio per confirmationem à personæ Christi  
dignitate & majestate. v.13 In quo appella-  
tio: Vos vocatis me, Magister & Domine.  
Per imitationem enim repetit titulos: quasi  
diceret vos compellando me his utimini vaci-  
bus: Magister ac Domine. Magister est  
ratione informationis. Marc. 4,33. & 9,38.  
Dominus est ratione directionis, superioritatis,  
uti vocatur Matth. 8,25. & c.16.v.22. Quip-  
pè est unicus noster Magister ac Dominus.

46. Et ejusdem comprobatio: Et pul-  
chre

chrè dicitis. Sum etenim. Siquidem Christo  
non erat propositum κατὰ δόκησιν, sed καὶ  
ἀληθεῖαν argumentum formare. Res enim  
ipsa requirebat, ut non solo nomine, sed in rei  
veritate Magister ac Dominus diceretur; vid.  
Chrysost. homil. 60. in Joh. Cum sermonem  
eorum inducit, eos ad invidiam adducit: cum  
vero introitum eorum ab ipsis confirmat,  
eum minimè suspectum facit. Vnde καλῶς  
ponitur hoc loco pro ἀληθῶς, uti & usurpatur  
Matth. 15, 7. Marc. 7, 6. Joh. 4, 17. Neq; ta-  
men arrogantiæ suspicionem incurrit, quando  
de se ipso dicit quod sit Magister ac Dominus,  
cum fuerit veritatis cœlestis manifestatio. Unde  
de Augustin. in Johanne. inquit; ille qui super  
omnia est, quantumcunq; se laudet, cum se ex-  
tollit excelsus, non potest dici arrogans DEUS  
Ego. Nobis subjacere utile est illi celsitudinis;  
nobis servire utile est veritati. Quod se Do-  
minum dicit, non illi vitium, sed nobis verè  
vitium. Ut discamus Christum esse Magistrum  
ratione sapientie in institutione, Dominum ra-  
tione potentiae in miraculorum operatione.  
Semper ergo expendam illa nomina, vocamq;  
illum Dominum, ergo ipsi serviamus; vocamus  
Magistrum. ergo verbis ejus fidem habeamus.

47. Et per subsumptionem; tum à fa-  
ctuq; iuris ab. 7 s. Eti

246

Eti necessitate sumpto argumento v.14. in quo antecedens: si ergò lavi vestros pedes Dominus & Magister. Est argumentum à minus probabili ad majus probabile. Minus probabile est Dominum servis, Magistrum discipulis pedes lavare. Quod humile officium præstítit, ut nos informaret de humilitate. Inde Chrysost. hom. 70. ubi nunc sunt qui conservos deficiunt? Ubi qui honores expetunt. Ipse natura erat Dominus, nos servi, neq; id recusavit; quem non fastuā hoc tolleret? quam non deprimeret elationem? qui sedet super Cherubim proditoris pedes lavit, tu homo habitans in terris intumescis.

48. Et consequens: Et vos debetis invicem lavare pedes. Hoc est magis probabile est vos debere invicē lavare; uti e.g. Syrus illud reddidit. Quamvis expressè demandet, dum non in arbitrio nostro relatum an velimus, sed obstricti sumus. Et conversatio Magistri, habet Leo Magn. c. 6. forma esse debet discipuli. Serviam⁹ ergò invicem nobis propter Dei præceptum Matth. 5. 45. Ecce enim ipse genibus flexis Dominus servo consummatæ humiliatis obtulit famulatum, uti loquitur Maxim. serm. de lotion. ped. Quin non debet erubescere servus, si facere iubetur, quod prius fecit Dominus, Cyprian. de ablut. pedum.

49. Et

49. Et ab exempli conformitate v.15.  
 In' quo in genere: exemplum enim dedi vobis. Dum non tantum per Scripturam & vi-  
 vam vocem, sed etiam per factum informare  
 voluit partim quoad rem, partim quoad mo-  
 dum. Tota enim, habet August. Christi vita  
 morum disciplina fuit. Satellites voluptatum  
 divitias appetebant, pauper esse voluit; hono-  
 ribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit:  
 quippe, uti ait Bernh. hom. 61. in Cant. Chri-  
 sti doctrina est regula prudentie, ejus miseri-  
 cordia est opus justitiae, ejus vita exemplum  
 temperantiae.

50. In specie: ut quemadmodum ego  
 fecis & vos faciatis. Sicq; ὑπογραμμόν, quod  
 propriè significat exemplar scriptionis, præscri-  
 ptum proponit. Non quidem secundum aqua-  
 litatem, sed secundum possibilitatem, quæ non  
 ratione redemptionis, ratione prædicationis, sed  
 ratione actionis & institutionis. Nam omnis  
 actio Christi est nostra institutio, non autem  
 statim nostra imitatio.

51. Et ab objecti qualitate v.16. In quo  
 præmittitur asseveratio: Amen, Amen dico  
 vobis. Quia asseveratione uititur, quoniam in  
 praxi per quam difficile est illud, quod verbis  
 nos verum esse faciemur, factis exprimere.

52. Et

52. Et colligitur ex retatis tum quo ad servum: Non est servus major Domino suo Ita maiorem ponit in genere. Ut discamus Christians rationes adhibere Philosophicas, & ex probabilibus concludere.

53. Et quoad legatum: Apostolus non est major eō qui legavit ipsum. Vbi Apostolus idem est, quod Legatus; qui negotii ferendi gratia aliquò ablegatus cum certis mandatis. Ut discamus officium nostrum considerare, neq; propter officium sumere spiritum.

54. Conclusio continet argumentū ex præmii largitate ab effecto v.17. In quo antecedēs: si hæc noveritis. Quasi diceret: scitis equidem quod servus non sit major Domino, nec legat⁹ legante, sed recte scire debetis: neq; enim nostra fides est ignorantia.

55. Consequens: Beati etitis, si feceritis ea. Siquidem non sufficit solum scire, sed necesse est etiam facere: non propter operis meritum, sed ex fide, quæ facit verè Deum, timentes & credentes, humiles & erga proximum officiosos. Non ergo constituit causam beatitudinis dilectionem aut humilitatem, sed signum & proprietatem describit, quia vera fides non est à praxi separata. Matth.7,21. Luc.12,47. Vnde Gregor. homil.10.in Evang. Probatio dilectionis est exhibicio operis. Inde Bernhard. serm.

serm. i. de modo benè vivendi ad sororem:  
 Ille verè beat⁹ est qui recte credit, & recte cre-  
 dendo bene vivit, & bene vivendo fidem recte  
 custodit. Frustra enim sibi de sola fide blandi-  
 tur, qui bonis operibus non ornatur. Oportet  
 itaq; non solum dici, sed & esse Christianos,  
 habet Ignatius epist. 3. ad Magnesium.

## N O T ē.

**M**ittit aquam in pelvis) considera  
 humilitatem Christi; ut discas eti-  
 am debita officia præstare ex humilitate.  
**V**enit ad Petrum) Considera Chri-  
 stum nullum præterire; ut discas  
 omnibus inservire.

**E**xemplum dedi) Considera Chri-  
 stum omnia nostri causa fecisse; ut di-  
 scas alii etiam bono præire e<sup>x</sup>emplo.

## C A S U S.

An omnium factorum reddenda sit ratio  
 interroganti?

**V**Idetur i. Quia monet Petrus ut rati-  
 onem reddamus cuilibet poscentis spei,  
 que in nobis, i. Petr. 3, 15.

2. Quia uti est anima legis ratio l. 39.  
 ff. d. LL. arg. l. cum pater g. dulcissimis  
 ff. de Legat. z. Rolan. à valle q. 4. n. 1.  
 de ju-

250

de jure dotiū Massa Gales. l. i. de exerc.  
jurispr. n. 44. ita etiā factorū colligitur.

3. Oldendorpius assert 2. in  
fine arbitratur semper rationes senten-  
tiæ inseri quem debere. Quemadmo-  
dum enim moneta non signata ab omni-  
bus habetur suspecta, ita sententia l. ele-  
ganter §. qui reprobos ff. de pignorat.  
actio l. qui testam ff. de excusat. tutor.  
Et c. judicet 8. q. 7. dicitur, quo judex  
juxta leges ac jura pronunciet, statutis ju-  
ris obtemperet, non indulgeat propriæ vo-  
luntati, at obsequatur legibus, non adver-  
setur, examinet causæ merita non mutet.

4. Cic. l. de natura Deorum. non pro-  
bare soleo id, quod de Pythagoreis accepi-  
mus, de quibus ferunt, si quid affirma-  
rent in disputando, cum ex iis quereretur  
quare id ita esset, responderet aliter : Ipse  
dixit : Inde Doctori nihil alleganti non  
creditur Roland. à valle volum 2. cons.  
1. n. 187. Silva Cons. 25. n. 28.

Nō videtur, 1. quia Christus inquit hic: qua-  
re ego hoc faciam ignoras, scies autē postea.

2. Quia & judex suæ pronunciationis  
rationem reddere non cogitur c. sicut X.  
de

de senten. & re re jud. in summa fl. de  
re judi. Decian. c. 15. n. 26, in Apol.  
cont. Alciat. exprimendoq; fatuus cen-  
setur. Franc. Vivius lib. 1. com. opin.  
vers. Judex non tenetur. *Ut qui vir  
bonus l. 4. §. 1. ff. fam. ercif. l. 137. §. cum  
ita ff. de V. O. Menoch. arb. jud. l. n. 10.*  
*quē ideo, quod viri boni officio incumbit  
futurū opinamur. l. 2. C. de offic. civil.  
jud. Menoch. l. 2. de persum. 67. n. 1.*

3. Ad longam facti speciem Ictus sic  
tantum duobus verbis respondet: respondi  
debere. l. in codicillis in fin. ff. de ann.  
legat in l. liberto §. filium cod. tit. l.  
penult. §. penult. ff. de legat. 3. Sic &  
Scævola l. 44. ff. de recept. arbit. l. plu-  
res, ff. de rebus dubiis. Lucius §. pe-  
nult. ff. de legat. 3. l. 122. §. 4. ff. de V.  
Ob. Paul. Castron. cōs. 434. & Specula-  
tor tit. de requisit consil. vers. prorsus  
audit. Et dicit Pacis Scala l. 3. de cons.  
sapient. 20. quod consultor deservit lo-  
quens non teneatur rationes exprimere.  
Asin. in praxi judici §. 25. n. 1. Maria  
Corat. l. 2. com. opin. t. 9. cas. 27. n. 129.  
Decian. volum. 3. cons. 50. n. 1.

4. Con-

252

4. Consilia celandas sunt Hipp. à col-  
libus in pr.c. 27. Bocer.lib. i. de bell.  
c. 25.n.14. unde Marcellus dixit: combu-  
ram tunicam meam, si eam consiliis meis  
gnaram cognovero. Val.Max.lib.7.c.4.  
etiam ita dixisse Mauritium Electorem  
legitur And.Rey. à Naglovi de conf.q.  
83. apud Keckerm.

Ad rationes contrarias: 1. Fall. secundū  
quid, si salgilli o poscat & ejus interest nosse.

Ad 2. Fall. cons. In se est ratio ani-  
ma legis; sed non sequitur ergò statim alle-  
ganda & revelanda cuivis.

Ad 3. Fall. secundū quid: ubi postulatur  
causa & prodest poscenti. Et judex si ea ob-  
servat, etiam contrarationem non facit: in  
terim non sequitur: ergo tenetur allegare.

Ad 4. Fall. iterum cause: aliud est  
in informatione, ubi rationes in contrari-  
um pugnant, aliud in actione à superiore  
suscepta. Unde & illud Doctori non alle-  
ganti nihil creditur, si contra rationem &  
leges facere probatur. Alias in infinitū pro-  
ducerētur lites, nisi prægnātior sit ratio &  
aliud svadeat, ubi dubitatur de aequitate.

**E**xemplo quicunqus suo docet, utilis ille,  
alter ab exemplo sugat ut inde modū.  
Paschatos ante diem, sic & cum venerat hora  
Mortis, dilexit Christus, ut ante, suos.  
Ac cœnā sumtā Satanass suggesterat istud  
Iude, quō Dominum proderet ipse suum.  
Conscius at Jesus Patrem sibi cuncta dedisse,  
Ac exisse Deo, rursus adire Deum.  
Ac cœnā surgit sua vestimentaq ponit,  
Mantili lumbos cinxit & inde suos.  
Et pelvi commissit aquam cœpitq lavare  
Discipulis, lotos tergit & ipse, pedes.  
**V**enit ut ad Petrum Simonem: Num nè lavabis  
O Iesu, dixit, Tu mihi queso pedes?  
Respondit Iesus; facio quid, nescius ejus  
Es nunc, at poteris postmodò scire tamen.  
Petrus, in aeternum, dicit, me nolo lavari;  
At Iesus, nisi Te lavero, nullus eris.  
Tum contra Petro: Annè pedes solūmodò, Iesu?  
Ipse lavaq manus! Ipse lavaq, pedes!  
Iesus: quisq pedes lotus, non sufficiit; ipse  
Est totus mundus, non tamen omnis, ait.  
Noverat is quoniam quis, en qui proderet, effet.  
Propter id hoc: omnis non mihi mundo, ait.  
Inde pedes postquam lauit vestemq, recepit,  
Ob quamnam causam fecerit ista, refert.  
Addit:

Addit: me solitine vocare subinde magistrum  
Ac Dominum? Nasum dicitis inde bene!  
Ergo pedes vestros lavi, licet ipse magister:  
Vos aliis etiam, queso, lavate pedes.  
Exemplum vobis dedi faciatis, ut ipse,  
Et vos, sine factis congrua vestra meis.  
Ac erit officiosus amor simul utilis omni  
Vester, & exemplum sugitis inde meus.  
Talia NITSCHMANNUS repetit. Sed sugat &  
Utilis is suctus gratus erit quod Deo. (ipso!  
testatur GUEINZIUS.

TROCHÆUS.

Purpurantes nō palustri pullulant arundine  
Cypridos floresque, squilla crescit haur amaraco,

Frugiperda nec salicta poma Media ferunt;  
Hoc idem Natura mater tale veriverbum  
Ti dedit, NITZSCHMANNE, docto quod patente sis satius.

Nam velut cicada vitiis fronde pendet astib⁹,  
Atque cœli nocte rores imbibit superfluos,  
Usque plena dum rigavit ora iam strepentia;  
Compar ac à GUEINZIANO sugis ore mellea  
Dona, queis Apollo sparsit GUEINZIANA tempora.

Nec prius contentus horū, quin bibas & rebrius.  
Sic ibi feter NITZSCHMANNE plura suge  
dona mellea.

GEORG I CHRISTOPH. Dockhorni.

02 A 572  
(1/2)

**ULB Halle**  
003 808 483

3





VÖ 17

EV

CH R 15  
H 33 C





Dn. U